

V

*L'Expédition de Charlemagne en Terre-Sainte.
Les Saintes Reliques qu'il en a rapportées.*

Extrait du *Miroir historial de Vincent de Beauvais.*

*Lib. XXV, III. Qualiter Karolus juxta divinam revelationem
liberavit terram sanctam.*

Helinandus. — Legitur quod eo tempore quo Karolo datum est Romanum imperium, patriarcha Hierosolimitanus, de civitate expulsus a paganis, venit Constantinopolim ad imperatorem Constantinum et filium ejus Leonem, et cum eo Johannes Neapolis sacerdos et David Hierosolimitanus archipresbiter, quos ille ad Karolum misit cum epistola Johannis patriarche manu ipsius et Constantini scripta. Et cum duobus prefatis fuerunt alii duo legati hebrei, Ysaac et Samuel.

Hi legati regem Parisius invenerunt et ei epistolas tradiderunt. Quibus perlectis, rex lacrimari cepit pro sepulcro Domini. Has epistolas jussit rex exponere Turpinum archiepiscopum coram omni populo. Quibus auditis omnes proficisci regem precabantur.

Quo audito, mox rex edictum proposuit ut omnes qui possent arma ferre irent secum contra paganos, et qui non irent ipsi et filii eorum servi quatuor nummorum essent. Itaque majorem exercitum quam unquam ante habuisset congregavit et profecti sunt.

Fugatis paganis et recuperata terra, petivit rex licentiam repariandi ab imperatore Constantinopoleos et Hierosolimitano patriarcha. Quem per unum diem retinuit imperator apud Constantinopolim et interim fecit parari ante portam civitatis animalia diversi generis et coloris, et aurum et gemmas. Karolus autem, ne inurbanus videretur, si nihil acciperet, quesivit consilium a proceribus suis quid facere deberet. Qui responderunt a nullo debere eum aliquod munus accipere pro labore quem pro solius Dei amore susceperat, qui, laudans consilium, jussit omnibus suis, ut omnes res appositas nec respicere dignarentur.

V. De Sacris reliquiis quas inde Aquisgranum detulit.

Tandem adjuratus et coactus aliquod munus pro amore Dei accipere, petivit de reliquiis Passionis Dominice. Inito autem

consilio, indictum est jejunium triduanum omnibus nostris et XII personis grecis que electe sunt ad hoc sanctuarium dividendum. Tercia die Karolus peccata sua confessus est Ebrouno archiepiscopo. Deinde utrique cleri psalmos cum letania inchoant.

Cum autem Daniel Neopolitanus antistes aperuisset thecam, in qua erat spinea corona, tantus odor exiit inde, ut omnes putarent se in paradiso esse. Tunc Karolus, prostratus in pavementum, plenus fide, oravit Dominum, ut propter gloriam nominis sui, miracula sue Passionis et Resurrectionis renovaret. Et cum orasset, statim ros celitus veniens lignum infudit et inebriavit et flores emittere fecit, tantaque lux cum odore affluit ut omnes sua vestimenta celestia esse putarent. Cunque Daniel adunca forcipe robur ipsius ligni secare inciperet, tunc magis ac magis florere cepit. Tunc Karolus in arboreo pallio quod ad hoc preparaverat suscepit de floribus et implevit mantum suum dextrum. Dehinc alium mantum ad suscipiendas spinas preparans, tradidit illum cum floribus Ebrouno archiepiscopo. Cunque utriusque oculi pre lacrimis impediti essent, ille putans se accepisse et ille dedisse, uterque mantum dereliquit. Qui fere unius hore spacio pependit in aere. Cunque alterum mantum rex spinis impleisset et illud episcopo tradere voluisset, vidit illum primum pendere in aere. Post hoc cum flores de manto ejicere cuperet, conversi sunt in manna; et hoc manna modo est apud sanctum Dyonisium, quod a multis putatur esse de illo et manna antiquo quod pluit Dominus in deserto. Omnes egri qui ibi aderant, ad odorem florum, sani facti sunt.

His ita gestis, ecce turba infinita ecclesiam violenter intrans clamare cepit: Vere hodie est Resurrectionis dies; nam odor de floribus exiens totam civitatem impleverat et CCC et unum egros sanaverat. Quidam eger ibi erat, XXIII annos et tres menses habens, in extractione spinee corone visum recepit, in sectione auditum, in emissionem florum loquelam.

Post hoc prefatus Daniel Dominicum Clavum manibus elatis regi tribuit. Qui cum de alabastro in quo absconditus erat extraheretur, sanatus est puer quidam sinistram manum et totum latus sinistrum ab utero matris habens aridum, et cucurrit ad ecclesiam dicens, quod circa horam nonam lecto jacens, quasi in extasi positus, videre sibi visus est quendam canutum fabrum adunca forcipe extrahere ex sinistra manu sua et sinistro pede similiter arido clavum et a latere lanceam. Data sunt preterea regi Karolo frustum Crucis Domine, et Domini SUDARIUM, et camisia beate Marie, et fascia qua puerum Jesum in cunabulis cinxit, et brachium sancti senis Simeonis

que omnia recondidit in sacco de bubalino tergore facto, et ad collum suum suspendit ad instar peregrini. Veniens autem ad castrum nomine Ligmado, puerum mortuum per tactum Reliquiarum suscitavit et L egri promiscui sexus ibi curati sunt. Ibi sedit Karolus sex mensibus et uno die.

Veniente autem eo Aquisgranum, sanati sunt ceci innumeri, febricitantes innumeri, demoniosi XII, leprosi VIII, paralytici XV, claudi XIV, manci XXX, globosi LII, caduci LXV, gutturnosi plures, et ex vicinis locis quamplures. Denique indixit per totum orbem, ut idibus junii venirent Aquisgranum videre reliquias, quas de Hierusalem et de Constantinopoli advexerat, prius peccata sua confitentis. Et statutum est ibi, ut semper quarta feria jejuniorum quatuor temporum, in mense junio, fieret indictio ista reliquiarum.

In hoc concilio fuit Leo papa et Turpinus archiepiscopus, Achilleus Alexandrinus episcopus, et Theophilus Antiochenus et alii plurimi episcopi et abbates. Ibi etiam suscitatus est mortuus. . . .

XLIII. *De gestis Karoli Calvi.*

. . . . *Helinandus ubi supra.*

Karolus iste Calvus *etc. ut supra* (*Vide num IV*). Sudarium autem apud Compendium reliquit, et hoc instituit ipso tempore Nicolai pape. Antequam autem reliquie ostenderentur populo, tanta fames solebat esse in Francia, ut asinos et caballos comederent; que per Domini misericordiam postea cessavit.

Sigibertus dicit hunc Karolum in reditu a Roma mortuum esse Mantue. Alibi legi ego quod, Romam pergens, obiit in itinere et sepultus est apud Lugdunum in monasterio Antonay.

Speculum historiale perlustrati fratris Vincentii, ordinis Predicatorum professoris, per Antonium Koburger Nuremberge incolam impressum, fuit feliciter. Consummatum sub nostri Salvatoris anno incarnato MCCCCLXXXIII in vigilia sancti Jacobi, de quo fine laus et gloria Altissimo sit per evum. Amen. (Bibl. Nation. Réserve G. 538, in-f°). — Bibliotheca mundi seu speculum majoris Vincentii Burdigundi, praesulis Bellovacensis, ordinis Praedicatorum theologi ac doctoris eximii, Duaci 1624 (4 t. in-f°). Speculum historiale, lib. XXIV, cap. IV, v et XLIII, in t. IV, p. 964 et 977.